


5

DE CONFLAGRA-  
TIONE AGRIPVTEO-  
LANI, SIMONIS POR-  
TII NEAPOLITANI  
EPISTOLA.

FLORENTIAE  
M D LI.



100

DE CONFLAGRA  
TIONE AGRIPATRO  
LANDI MONTI TOR  
TO MONTI  
MONTI

REPERTORIUM  
MONTI

13

ILLVSTRISS. D. PETRO A TOLE-  
TO PRINCIPI VILLAE FRANCAE, REGNI  
Neapolitani Proregi, & militum Impera-  
tori. Simon Portius. S. D.



V L T A sunt, quæ etsi naturali ra-  
tione eueniât, quia tamen raro con-  
tingunt, portenta hominibus: atque  
iis maximè, qui rumore potius ea  
quàm visu percipiunt, videri solent.  
Quàm obrem ne de eo, quod nuper  
anno scilicet à partu Virginis M.D.

XXXVIII. campis accidit Puteolanis, falsum ali-  
quid ad te deferatur: cum mea omnia, atque hæc præ-  
cipue, quæ ad nostra studia adtinent, me tibi debere  
sentiam: eius rei totius historiam breui recensere, &  
quod Philosophi propriû munus est, causas tibi ape-  
rire constitui: rem haud ingratam me facturum exi-  
stimans. Vidisti tu quidem conflagrationẽ, & vniuer-  
sam Puteolorum regionẽ lustrasti. est ea vicina mari,  
aquis calidis, & lutofo sulfure abundans: montes ha-  
bet à septentrione & meridie, qui ad mare vsque pro-  
currût, vbi cauernæ multæ & magnæ caloris vim plu-  
rimam cohibent. Fuit hæc regio biennio serè magnis  
terræmotib. agitata: vt nulla in ea superesset domus  
integra, nullum ædificiû, quod non certâ & proximâ  
ruinam minaretur. At vero. V. & IIII. Cal. Octobr.  
perpetuis diebus, noctibusque terra commota est:  
mare passib. fere. CC. recessit. quo quidẽ loco & in-  
gentem piscium multitudinẽ accolæ capere, & aquæ  
dulces profilire visæ fuerunt. III. tandem Cal. ma-  
gnus terræ tractus, qui inter radices montis, quem  
Barbarum incolæ appellant, & mare iuxta Auernum,

iacet: sese erigere videbatur, & montis subito nascentis figuram imitari. Eo ipso die hora noctis. I. I. istæ terræ cumulus, aperto veluti ore, magno cum fremitu, magnos ignes euomit: pumicesque & lapides, cinerisque sædi tantâ copiam, vt quæ adhuc extabant Puteolorû ædificia operuerit, herbas omnes texerit, arbores fregerit, pendentemque vindemiam ad sextû vsque lapidem in cineres verterit, aues quoque, & nonnullas quadrupedes bestias interemerit: fugiētibus per tenebras Puteolanis cum natis, & vxoribus & magno gemitu eiulatuque Neapolim sefer recipientibus. Qui quidē cinis ad LX. fere passuum. milia exlatio- nis vi proiectus est. atque quod mirum videri potest, propè voraginem, siccus: longe vero, lutosus & humidus cecidit. Verùm quod omnem superat admiratio- nem, mons circum eam voraginem, ex pumicibus, & cinere, plusquã. M. passuum altitudine vna nocte congestus aspicitur. in quo multa quidem inerant spiramenta, è quibus duo nunc supersunt, alterum iuxta litus, quod procurrit ad Auernû: alterum in ipso montis medio. Auerni magna pars operata cinere, Balnea illa tot sæculis celebrata, quæque tot ægris salutē præstabāt, cinere sepulta iacent. Durat & hoc incēdium ad hanc vsque diem, cum aliqua tamen interpollatio- ne: cuius ego mox, quod pollicitus sum, causas naturæ conuenientes, explicare tentabo. Quæ natura raro fiunt, non vna ratione oriuntur. cum eorum quædam certis careāt definitisque causis, cuiusmodi sunt quæ temere & casu fiunt: alia verò non sine certis causis, tametsi ea quoque raro eueniant. huius generis sunt, luminarium defectus, igneæ exhalationes, terræ- motus. Sed cum hoc, de quo agimus, incendium, post magnos fuerit terræmotus; de terræmotu prius pau-

9  
 cā quædam dicenda sunt, è quibus quæ ad hiatū per-  
 tinent, commodius explicabuntur. Sol in terrā agens  
 humidam, fumū ex ea quendam educit: qui si crassior  
 fuerit & humidior, vapor dicitur, & humida gignit,  
 vt nubes, pluias, aquasque perennes. sin sicciior, quæ  
 exhalationem Aristoteles nuncupauit, sicca gignit &  
 arida. Fumus hic in terræ antris & cauernis genitus,  
 aut inde totus effluit, aut totus coërcetur: vel partim  
 quidē effluit, partim coërcetur. Si totus effluit, vi sua  
 propellit aërē & generat ventos: sin coërcetur totus,  
 vel à meatibus & rimis ac arenis terræ soliditates, vel  
 à crebris imbribus, quib. terrę meatus occluduntur,  
 vel à vicino mari, quod suo tum frigore tum fluctu,  
 fumos illos in terræ viscera repellit; tunc cum ignei  
 sint, & vi coërceantur, egressum motu velocissimo  
 quærentes, terrā cōmouent, terræmotusque efficiūt  
 magnos. si verò partim egrediātur, partim sub terras  
 coërceātur, leues fiunt terræmotus: vi nanque immi-  
 nuta, quæ egreditur pars, aërem; quæ, cohibetur terrā  
 mouet. Cæterum non est prætereunda causa illa supe-  
 rior, quā Astrologi amplectuntur; stellarū videlicet  
 cōuentus, solisquæ & lunæ defectus. Fuerunt hæc om-  
 nia tēporibus his primū quidem, Martis cum Satur-  
 no congressus in Virgine proximo solstitio, qui exha-  
 lationes gignere, terræmotusque excitare consuevit.  
 Fuere etiā non modò hoc, sed præterito quoq. anno  
 lunæ defectus ac cometæ. Spectanda item sunt tēpora  
 terræmotibus apta, ver & autumnus; quibus tum hu-  
 miditatum, tum caloris incrementa fiunt. vnde sol &  
 vapores gignit & exhalationes: quorum generatio-  
 nem multo suo frigore prohibet hyems, multoque ca-  
 lore æstas. Hæc de causis quas efficientes Philosophi  
 vocant terræmotuum: deque eorundē temporibus.

Quibus accedit, quòd proxima æstas pluuiis affluens, autumnus potius quàm æstatis naturã tenuit: vnde mirum videri non debet, si frequentiores passa est regio nostra terræmotus. Soli enim gignendis exhalationibus vberiore aptioremque materiã tempora suppeditarunt. Aptior porro terræmotibus hora, diluculũ est: ea ratione, quòd Sol ad nos rediens, terrę cogit frigiditatem, quæ egressum prohibet exhalationibus vnde magna vi illæ, celeritateque motæ; terram concutiunt. Quin & merides idoneus quòd Sol exhalationes supernas dissipet, educatque infernas, quæ terrã mouent; qua ratione sit in superficie tranquillitas, & intra viscera motio. Locus verò, qui maximè terræmotibus quatitur, has naturã ipsa sortitus est conditiones: vt sit mari finitimus, eiusque terra velut spongia sit poris affluens & cauernis. quibus omnibus Puteolanus ager obnoxius, frequentes patitur terræmotus. Nunc igitur exhalationes in profundo multæ cõgregatæ, egredi quærentes, quo propius ad locũ vnde egressuræ erant accedebãt, eo maiore vi terræ partes proximas quatiebant; idque in causa fuit, vt terræmotus essent diebus illis perpetui. Demum exhalationes hæc motu velocissimo materiã in ea regione bituminosam, atque igne perustam, in terræ cauernis clausam inflammant, atque eã magna vi propulsam eiecerunt. Voraginis igitur hæc causæ reddi possunt. Sed cum plura voraginem hanc, & terræ hiatũ præcesserint, ignemque egredientẽ comitentur; sigillatim eorum omnium rationes exquirere, non ab re fuerit. Mare primũ recessit; non alia profecto ratione, nisi quòd exhalationes exitũ quærentes, terram rarefecerunt, quæ veluti sitiens, aquã per suas rimulas hausit. quo factum est, vt pars illa terræ, quæ mari prius abluebatur

tur, sicca remanserit, & cinere & lapillis litus in altū se sustulerit. Præcessit etiam aqua frigida scaturiens: quod inde contigit, quoniam aqua è terra ob exhalationē prominente compressa, vberius emanauit, terra exitui aquæ cedēte, & in imum delapsa, mox exhalationum egredi quærentiū vi est sublata. Hæsitauerunt quidam, an ignis ille in bitumine præesset, an potius exhalationū motione accensus fuerit. Responsumque à nobis est, materiam quidem illam antea arsisse: argumento, quòd aquæ quæ iuxta eam scaturiebant, calidæ erant; verùm exhalationū impetu, & exeūdi vim & incendium maius accepisse. Dubitant alii, cur non semper inde fumus exeat, aut non semper fremitus exaudiatur; sed interuallis tēporis quibusdā quiescere videatur. Huius rei illud in causa est, quòd primis diebus os voraginis erat angustum: flamma item illa ab intimis terræ visceribus prodiens, cum in procinctu, & voraginis ori proxima erat, magno cum fremitu erupit: deinde dum exhalationis altera pars, à terræ profunditatibus ad os voraginis moueretur, non poterat fremitus ab iis, qui longe erant, percipi. Quòd vero cinis egrediens, vicinis locis siccior; at longinquioribus cadat humidior. Eius rei illud in causa esse existimo, quòd egrediens ab ardore siccior efficitur; at verò cum longius cadere nequeat, nisi prius ad aëris mediā perueniat regionem, crassior ibi & humidior fit, itaque descendit. Sed de tēpore quo incendiū hoc duraturū sit, quæruntrudiores, quibus à me fuit dictum, hoc ignorari: nec sciri aliter posse, nisi librata materia, qua ignis ille alitur. Verum qui Vesui incendium huic Puteolano comparauerit, facile intelliget, non minori tempore duraturū hoc, quàm illud; cum magnum terræ spatium, imo totus ager Pu-

teolanus, sulfureo bitumine plenus sit, vt habeat ignis ille aptam, & non cito defecturam materiam.

Atqui quid hæc portendant nonnulli anxie quaerunt. ego verò cum Peripateticis dico, nullam præsentionis istius certam esse causam: tametsi Cicero portentis multum tribuat, multum etiam detrahat. Quare ego, quod à me alibi disputatum est, nihil certi hæc significare, præter siccitatem, affirmo: cui frugū penuria succedere consuevit. quin & pestem multis ante sæculis accidisse accepimus. Astrologi intestina bella sequutura prædicant. corpora nanque ob superiores squallos ita arserunt, vt animus ad iram pronior sit, sed ex accidēti, ista omnia siccitatē sequuntur, vt in libris Meteor. demonstrauimus. Si qui sunt qui aliter sentiant, illorum rationibus doceri nunquam recusabo. Aristoteles similia contigisse in Heraclea ciuitate Ponti, & in sacra insula Aetoli scriptum reliquit. Imperante quoque Tito, anno secūdo imperii, Vesuius mons ab altero vertice magnos eructauit ignes. Item, Cæsare Augusto, Tito, & Antonino quarto, atque Diocletiano imperantibus; nec non L. Martio, ac Sex. Iulio Coss. in Arime insula, aperta huiusmodi voragine simile natum dicitur incendium. vnde tanti eruperunt ignes, anno salutis. 1300. vt tota modò non insula conflagrauerit. Sed huius rei causas aliàs explicabo. Hæc igitur mi Meccenas scribenda duxi; ne Harioli, somniorumque interpretes, ac vulgares Astrologi alio trahât, quæ natura duce proueniunt.

